



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1785**

**VD18 13322648**

§. 7. Scriptorum Religione Catholicorum opera & obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.

§. VI.

*Scriptorum Religione Catholicorum  
opera & obitus.*

Plures ex Catholicis Scriptoribus hoc anno defunctis in Republica Literaria ingens sui desiderium relinquabant; ex his eminent Dominicus Matthæus Petitdier Abbas Senonensis Benedictinus ex Congregatione S. Vitonis, & Macrensis Episcopus, Vir longe celeberrimus, qui inter alia scripsit tres literas in defensionem Parochorum quorundam contra Tullensis officialis censuras: Dissertationes historicas, Criticas, chronologicas in Scripturam V. T. præter alias ejusmodi dissertationes in N. T. quæ tamen nondum typis editæ sunt: tractatum de infallibilitate & auctoritate Pontificis: dissertationem, an sententia de infallibilitate Papæ destruat libertates Gallicanas; aliam Historico-Theologicam, in qua examinatur, quid Concilium Constantiense & præcipue illius Theologi de auctoritate Pontificis, ejusque infallibilitate senserint, & demum annotationes in primos tomos Bibliothecæ D. Du Pin: Postremum denique ipsius opus erat, Vindicatio doctrinæ moralis, & disciplinæ Romæ, totiusque Italiæ contra librum  
ano-

anonymum, cui titulus: *moralis doctrina Jesuitarum & Constitutionis UNIGENITUS comparata morum doctrinae Paganorum*: Adscribitur eidem quoque Apologia literarum Provincialium D. Paschalis contra P. Danielelem Jesuitam: Attamen ipsemet Petittierus Romæ in suis documentis *sanæ & orthodoxæ Doctrinæ P. Matth. Petit-Didier* declarabat, se illius Auctorem non esse: id omnino certum est, hanc apologiam non eo, quo illam composuit, modo, sed cum pluribus haud exiguis additionibus, sine veritatis tamen detrimento, ut ait P. Calmetus, prodiisse. Obiit repentina morte in sua Abbatia die 15. Junii. II. Gabriel Daniel Jesuita, qui edidit tentamen Historiæ Franciæ, Historiam Franciæ, iter mundi Cartesiani, Colloquium inter Cleanthem & Eudoxium, circa literas Provinciales, decem epistolas ad P. Natalem Alexandre circa doctrinam Thomistarum & probabilitatem, Historiam militiæ Gallicæ, & plura alia opuscula, quæ in tribus voluminibus collecta prostant. Obiit Parisiis die vigesima quarta Junii. III. Zegerus Bernardus Van-Espen Juris Canonici Doctor ac Professor Lovaniensis, qui *jus Ecclesiasticum universum* quatuor majoris molis tomis sæpius recusum edidit, cui etiam Anno 1777. Coloniae  
 acces-

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1728.

Sæc. XVIII. accessit supplementum, complectens  
 A. C. 1728. varia juris responsa, epistolas, ejusdem-  
 que Auctoris plura opuscula, propter quæ  
 tamen sæpius acriter exagitatus fuit:  
 Præprimis gravissima ei fuit contentio  
 cum P. Bernardo Desirant Augustiniano  
 ob quasdam epistolas & instrumenta  
 sub ejus nomine edita, quæ tamen Ze-  
 gerus conficta esse ostendit, obtinuit-  
 que, ut illa die decima quinta Junii  
 1708. Bruxellis manu licitoris combu-  
 rerentur: Eidem quoque Espenio ne-  
 gotium facessabant ex Augustinianis  
 Belgis quidam ob ejus dissertationem  
*de peculio in Religione, & simonia in in-*  
*gressu Religionis*, quod opus Romæ de-  
 nuntiabant, & ut proscriberetur, acri-  
 ter urgebant, nil tamen aliud profece-  
 runt, nisi ut hujus dissertationis com-  
 mendatio magis honorifica fieret. Scri-  
 psit etiam tractatum de dispensationi-  
 bus, quam tamen ejus æmuli rursus  
 apud Romanæ Curie Ministros defere-  
 bant, & Tanara Bruxellensis Internun-  
 tius pronuntiabat: *Espenium S. Sedis*  
*auctoritati contraria docuisse.* Ediderat  
 quoque dissertationem seu repagulum  
 Canonicum *adversus nimiam exemptionum*  
*extensionem* contra P. Jacobum a S. An-  
 tonio Carmelitam, qui consultationes  
 Canonicas pro Regularium exemptione  
 unacum Consultatoria appendice pu-  
 blici

blici juris fecit. Hoc igitur Espenii opus quidam Romæ damnari curarunt, ac ipse P. Jacobus contra ipsum aliud *Repagulum Canonicum* Colonix 1689. edidit. Pariter Espenii tractatum de *Ecclesiasticarum immunitatum concordia cum Regis juribus* impugnarunt non pauci. Ejus vero tractatum *super Placet Regio* confutavit Deckerus Mediolanensis Ecclesiæ Decanus, & Romana Inquisitio die 12. Sept. Anno 1714. illum proscripsit. Nec benigniorem sortem subiit ejus tractatus de recurſu ad Principem ab Archiepiscopo Mechliniensi vehementer impugnatus, necnon dissertatio de *Nobilium in Hollandia jure nominandi & præſentandi Episcopo Pastores*, quam Nicolaus Du Bois S. Scripturæ Professor refellere conatus est, & Rasteryus Vicarius Generalis Sylvæ Ducensis die 8. Maij 1683. damnavit. Longior forem, quam par est, si omnia Espenii opuscula & tractatus ab aliis impugnatos, ab aliis propugnatos recensere vellem, sufficit annotasse, vix ullum scriptum ex hujus Authoris calamo profluxisse, quod suos non habuisset adversarios, cunctaque ejus opera Romæ die 22. Aprilis 1704. & 17. Maij 1734. atro stigmate fuisse notata. Gravissimam tamen atque internecinam sibi vexationem accersivit Espenius

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.

Sæc. XVII. A. C 1728. nius suo motivo juris pro Capitulo Cathedrali Harlemensi, & sua responsione epistolari de numero Episcoporum ad validam ordinationem Episcopi requisito. Hoc responsum, cujus se Auctorem esse Espenius fatebatur, non modo Romæ sed & a Regio Bruxellensi Senatu die 12. Sept. 1725. proscriptum fuit, edito decreto, vi cujus hoc scriptum publice dilaceratum supprimeretur, & universitatis Lovaniensis Promotor Theodorus Leonardus Streithagen in Espenium judicii acta instrueret. Hujus sententiæ executionem Espenius præpedire totis viribus nitebatur, iteratis libellis supplicibus ad Carolum VI. Imperatorem, Mariam Archiducissam Belgii Gubernatricem, aliosque datis. Nec tamen amplius obtinere poterat, nisi quod eodem Anno die 29. Decembris Viennæ decerneretur, ut rationes & motiva, quæ in sui defensionem allegare vellet, Serenissimæ Gubernatrici Mariæ Elisabethæ traderet: Idem etiam ab Eadem præceptum fuit anni sequentis die trigesima prima Januarii. Sub idem tempus Universitatis Promotor inter palmares accusationes Espenio objectabat, quod quamvis Benedictus XIII. Papa edita Constitutione die 21. Febr. 1725. declararit, Cornelii Steenhoven electionem & consecrationem in Archi-  
epi-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.

episcopum Ultrajectinum esse prorsus nullam, atque execrandam, ipsumque ab omni exercitio Episcopalis Ordinis esse suspensum, ipse tamen hanc electionem ceu validam & disciplinæ Ecclesiasticæ & reverentiæ Superioribus debitæ minime adversam deprædicavit, & non sine Apostolici decreti contemptu hunc Pseudo - Archiepiscopum exhortatus fuerit, ut suum gregem pascere pergeret &c. Equidem Espenius Promotoris accusationes elidere nitebatur, imo etiam Buggenhoutum tum Rectorem Magnificum ceu Judicem agnoscere recusabat, nihilominus tamen die septima Februarii 1728. Rector Magnificus de Jurisconsultorum consilio & assensu declaravit, *Espenium sufficienter convictum esse Auctorem Responsionis Epistolæ, quæ declarata fuit S. Sedi injuriosa, scandalosa, & perniciosæ sequelæ & propterea in atrio Consilii Status publice lacerata est.* Eapropter condemnabatur Espenius, ut *infra tres septimanas præfatam responsionem revocet sub pœna ulterioris ad onus ejusdem provisionis, interim vero suspensus declarabatur tam à Divinis, quam a sua lectione ac aliis muneribus & officiis. quæ in Universitate obtinuit, insuper condemnabatur in expensas hujus causæ.* Præterea Archiepiscopus Mechliniensis die 7. Maij 1727. per Docto-

Sæc. XVIII.

A. C. 1728.

Doctorem Damen Decanum hos tres articulos Espenio coram duobus testibus proponi iussit. I. An corde puro emittat & rursus emittere paratus sit professionem fidei Pii IV. II. An paratus sit jurare in formularium Alexandri VII. juxta Bullam: *Vineam Domini*. III. An pure & simpliciter admittat Constitutionem *Unigenitus*, & condemnet omnes propositiones ibidem damnatas. Ad has quæstiones, nisi sincere & sine effugiis sit responsurus, a Sacramentorum usu arceretur, atque in eum secundum Canonum rigorem procederetur. Cum ergo Espenius sese in arcto prehensum cerneret, & vel Rectoris & Archiepiscopi sententiam ceu legitimam agnoscere, vel Constitutionem *Unigenitus* acceptare suasque opiniones revocare compelleretur, hoc anno Lovanio Ultrajectum ac inde Amersfordium octoginta duorum annorum senex aufugit, ubi tamen die secunda Octobris eodem anno fatis functus est relicta apologia, qua suam fugam vindicare nitebatur. IV. Joannes Crescimbene Canonicus S. Mariæ in Cosmedin, qui de hac Ecclesia Historiam reliquit, & præter Historiam Poësis vulgaris, commentarios in eandem Historiam & alia quamplurima edidit, quæ fusius in Jöcheri Lexico recensentur. V. Lazarus An-



Andreas Bocquillod, qui plures homi- Sæc. XVIII.  
 lias, tractatum de liturgia, aliaque A. C. 1728.  
 plura opuscula vulgavit. VI. Pe-  
 trus de Villiers olim Jesuita, tum Clu-  
 niacensis Monachus, qui scripsit artem  
 concionandi, reflexiones in defectus  
 alienos &c. VII. Antonius D'orsanne  
 Parisiensis Archiepiscopi Vicarius Ge-  
 neralis, qui duobus voluminibus ad  
 posteros transmissit Diarium eorum,  
 quæ circa Constitutionem *Unigenitus*  
 tam Romæ quam in Galliis contigere,  
 quod opus Auctores novellarum Ec-  
 clesiasticarum Ultrajecti usque ad hanc  
 diem prosequuntur. VIII. Bernardus  
 Desirant Ord. S. Augustini regius olim  
 Bibliothecarius, qui graves lites cum  
 Espencæo, aliisque Doctoribus Lovan-  
 niensibus habuit. Scripsit Consilium  
 pietatis ad Appellantes de non sequen-  
 dis sed corrigendis errantibus, Hono-  
 rium Papam vindicatum, Augustinum  
 vindicatum contra Quesnelli proposi-  
 tiones, & alia nonnulla. IX. Joannes  
 Pontas Doctor Sorbonicus, qui edidit  
 Dictionarium casuum conscientiæ, Sa-  
 cram Scripturam sibi ubique constan-  
 tem & examen peccatorum, quæ in  
 quovis statu committuntur, præter alia  
 opera Ascetica. X. Michael Franck  
 de Franckenstein, qui tredecim annis  
 in Societate transactis connubium  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* C inuit,

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.  
 iniiit, ac egregius Orator vix non omnes panegyricos Pragæ habitos sermones composuerat. Elucubrabat quoque syntagma genealogicum Comitum Woraczicziorum, & sphyn gem in familiam de Wunschwitz, notis quoque illustravit P. Augustini a S. Maria epistolas. Decessit Pragæ Menſe Martio.

## §. VIII.

*Opera & decessus Scriptorum quorundam A catholicorum.*

**E**x Scriptoribus A catholicis hoc anno defunctis celebriores recensere lubet, tales sunt. I. Elias Bennoit Calvinista, qui apologiam pro Pastoribus ob Gallicam persecutionem profugis, Historiam edicti Nannetensis, & varias observationes Critico - Theologicas in dissertationes Tolandi edidit. II. Jacobus Lenfant pariter Calvinista, qui prælo subiecit Historiam Concilii Constantiensis, Historiam Concilii Pisani, Novum Testamentum Gallice redditum cum notis, &c. III. Christianus Thomasius Lutheranus, cujus studio prodiit Historia contentions inter Imperium & Sacerdotium, introductio ad Philosophiam Aulicam, fundamenta juris naturæ & gentium cum Historia juris naturæ, cautelæ circa præcognita  
 juris